



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

624. An, & qualiter in translatione fieri debeat mentio qualitatis beneficii gravati, pensionis, aliorúmque gravaminum ei impositorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

tatem pensionem coram Executore, vel coram Notario, & testibus castatur pensio de consensu pensionarii ad favorem alterius, seu ut ea à Papa transferatur in alium, seu alteri reservetur. Corrad. *cit. c. 6. n. 57.*

2. Respondeo ad secundum: Neque requiri literas ipsius Executoris, sed sufficere, ut dictum, translationis instrumentum. Corrad. *n. 58.* uti neque dictus Executor pro validitate facta à se translationis præter observantiam formæ sibi à Papa in dicta facultate præscriptam inquirere in reliqua. Corrad. *ibid.* Quinimò, ut idem Corrad. scire non tenetur, an illa rectè fiat, nec ne; uti nec tenetur ad docendum, quæ Notarius in ipso instrumento translationis scribere debeat per jura, quæ disponunt de tali translatione. Quæ admodum, ut idem, neque testes, coram quibus ea debet fieri, tenentur scire aliquid circa validitatem, vel invaliditatem dictæ translationis; sed tantum tenentur ad exhibendam præsentiam suam, & intelligendum id, quod agitur; cum ad partes, quarum interest, scire pertineat, an actus coram iis factus valeat, nec ne.

Questio 622. An translatio fieri possit sub conditione, seu pacto?

1. Respondeo primò: Non posse eam fieri nec licitè, nec validè sub conditione, seu potius pacto, ut transferens illam (vel etiam aliquid, ut Lott.) exigat, quod ad vixerit. Garc. *p. 1. c. 5. n. 54.* citans Rodriq. *in sum. to. 2. c. 21. n. 7.* Navar. Vegam, &c. item Corrad. *l. 1. c. 5. nu. 53.* addens, id fieri non posse sine simonia. citat Navar. *conf. 65. n. 1. de simon.* Item Lott. *l. 1. q. 40. n. 20.*

2. Respondeo secundò: Neque eam posse fieri licitè, aut validè ab infirmo, sub illa conditione: si mors ex illa infirmitate contingat. Lott. *loc. cit. n. 19.* Corrad. *loc. cit. n. 52.* Garc. *nu. 55.* contra Nav. *conf. 11. de usuris.* apud Garc.

3. Respondeo tertio: Videtur tamen fieri posse sub conditione, si, seu ubi translatus factus fuerit clericus, cum clausula: *ex tunc, cum fuerit clericali charactere insignitus*: in quo casu ante conditionis eventum nihil actum censetur, adeoque poterit transferens usque in illum diem initiationis exigere pensionem, ac si nihil actum. Azor *p. 2. l. 8. c. 7. q. 9.* Lott. *loc. cit. n. 21.* citans Paris. *l. 6. q. 4. nu. 55. & 60.* Gabriel *conf. 185. nu. 3. & conf. 186. per tot. l. 1.*

Questio 623. An translatio requirat consensum pensionarii, & pensionem solvere debentium, aut etiam patronorum beneficii, super cujus fructibus reservata est pensio?

1. Respondeo ad primum affirmativè, ut constat ex forma facultatis transferendi per hæc verba: *de tuo consensu*. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 55.* dicens, debere de hoc consensu constare per publicum instrumentum translationis à Notario confectum. Item debere huic consensum esse expressum, & non sufficere tacitum.

2. Respondeo ad secundum primò: Consensus beneficiarii pensionem gravari ad hanc translationem non requiritur. Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 9. n. 5.* Azor *p. 2. l. 8. c. 11. q. 8.* citantes Gig. *de pens. q. 8. n. 9.* Et sic dictis militibus S. Petri, & Lauretani datam potestatem transferendi pensiones sine consensu illorum, qui eam solvere debent.

3. Limitanda responsio primò: ut in pensionibus impositis ob causam resignationis in facultate data eisdem transferendi nonquam (nisi id exprimat) censetur Papa consentire, ut transferantur sine consensu resignatarii. Castrop. *loc. cit.* Azor *cit. q. 8.* ubi: si verò Papa resignantibus beneficia pensionem reservat, & facultatem transferendi eam concedit, id non facit sine resignatarii consensu, sive hanc facultatem concedat simul cum reservatione pensionis, sive seorsim ac divisim. Additque Azor, hunc consensum præstari posse etiam per Procuratorem, & post mortem Domini.

4. Limitanda secundò: ut, ubi pensio aliàs seu semel translata denuo ex indulto Papæ transfertur, requiritur consensus pensionem solvere debentis. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 58.* Idque ex constitutione Urbani VIII. qui, cum adverteret, in repetita translatione pensionum onus illarum prorogari de persona in personam, & sæpe de moribundo ad sanum, de senè ad juvenem, motu proprio declaravit, pensiones ex quacunque causa, etiam onerosas concessas, & concedendas facultates transferendi quascunque pensiones, seu fructus illarum loco pro tempore reservatos, & reservandos quibuscunque personis, etiam Cardinalibus, non potuisse, nec posse suffragari cuicunque illorum quoad pensiones, aut fructus aliàs translatos, nisi in eis consensus pensiones, aut fructus solvere debentis accesserit, aut nisi id ipsum expressum sit, seu exprimat, quod pensiones, seu fructus jam semel translati sint, vel apponatur clausula: *etiamsi pensiones, aut fructus hujusmodi forsitan aliàs translatae aut, translatae fuerint.* Corrad. *cit. n. 58.*

5. Respondeo ad tertium: Ad transferendum pensionem impositam super fructibus beneficii juris patronatus nullatenus requiritur consensus patronorum, etiam laicorum. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 56.* juxta decis. Rotæ *in Placent. pensio. 7. Jun. 1607.* quamvis id limitet *n. 21.* ubi ait: aliud dicendum, quando pensio reservata fuit super fructibus Cathedralium beneficiorum juris patronatus regii, qui, cum ad dictam pensionem in prima illius constitutione, & reservatione nominet personas sibi gratas & acceptas, ita dicta translatio fieri non potest, nisi in similes personas à rege nominandas.

Questio 624. An, & qualiter in translatione fieri debeat mentio qualitatis beneficii gravati, pensionis, aliorumque gravaminum ei impositorum?

1. Respondeo primò in genere: Regulariter in translationibus pensionum non requiritur mentio qualitatum beneficii, super cujus fructibus imposita pensio, sed sufficit, eas expressas in literis super ipsa prima reservatione illius pensionis expeditis. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 20.* Lott. *l. 1. q. 40. n. 86.* ubi: quod supposita facultate transferendi indeterminata, jam transitus ille, seu translatio pensionis impediri nequit ratione qualitatis beneficii, super quo imposita pensio; quia pensio est semper eadem, nec novum gravamen per translationem imponitur. Proceduntque hæc à fortiore, ubi in facultate transferendi non narratur particularis pensio reservata, sed datur facultas transferendi quascunque pensiones. Corrad. *cit. c. 5. n. 28.* ubi: quod tunc dicta facultas non sit restricta ad pensiones tantummodò reservatas ante datam lite-

rarum

rarum hujusmodi facultatis, sed intelligatur etiam de pensionibus post eam datam reservandis, & sic sufficit illa ad transferendum pensiones reservatas eodem tempore, quo fit translatio, Idque multò magis procedat, quando in facultate transferendi adduntur verba: *nunc reservatis: & pro tempore reservandis: juxta dicta superius.*

2. Respondeo secundò in specie: Non est necesse fieri mentionem juris patronatus etiam laicalis, dum pensio transferenda imposita est fructibus talis beneficii; sed sufficit illius mentionem factam in prima pensionis reservatione, prout id requirebatur, ut nimirum Papa haberet notitiam, quòd tale beneficium pensione gravandum esset de jurep. laicorum; siquidem pensio illa translata novum gravamen non inducit, & ad hunc effectum est eadem cum illa primitus constituta. Corrad. l. 5. c. 5. n. 9. & 56. citans Rot. in Mediolanens. pens. qua est 505. p. 2. Recent. n. 4. & in Terulens. pens. 15. Decemb. 1610. ac dicens, ita in praxi tentum tam à Cancellaria, quam Dataria Apostolica.

3. Respondeo terciò: Etiam si in articulo reservationis pensionis necesse esset exprimi qualitatem Ecclesiae, seu beneficii, quia speciali notà dignum, ut dum pensio reservata super fructibus Cathedralis Ecclesiae, ac propterea necesse fuisset meminisse illius cum derogatione Concilii Lateranensis, ubi id factum in reservatione, necesse non est amplius ejus meminisse, aut derogari dicto Concilio in ejusdem pensionis translatione; cum in identitate pensionis reservatae, & translatae conservetur etiam idem effectus necessariae cujusvis derogationis, & mentionis à principio. Corrad. cit. c. 5. n. 18. & 20. Lott. à n. 87. citans Crescent. decis. 1. ex n. 1. de reb. Eccl. non alien. Rot. in Bonon. transl. pens. 20. Jun. 1602. & c.

4. Respondeo quartò: Si in reservatione pensionis facta sufficiens mentio pensionum antiquarum, prout requirebatur; non est necesse, ut in translatione, aut translationis facultate de hac circumstantia rursus fiat mentio. Paris. l. 6. g. 4. n. 43. Tond. qq. benefic. p. 2. c. 1. §. 4. n. 70. Corrad. cit. c. 5. n. 56. & l. 5. c. 6. nu. 22. & 23. Lott. loc. cit. n. 91. & 92. citans Mandos. in signat. grat. tit. exemptiones. Crescent. ubi ante. & Rotam in Veronens. pens. 14. Jun. 1613. & in Roman. pens. 17. Jun. 1622.

5. Nihilominus tamen observandum, debere specificè exprimi ipsum beneficium, super cujus fructibus imposita pensio; dum enim illa fuerit reservata super fructibus unius beneficii expressi in facultate transferendi, non poterit illa translatio fieri de pensione imposita fructibus alterius beneficii, v. g. dum habeo unam mihi reservatam pensionem super fructibus beneficii S. Joannis, & aliam super fructibus beneficii S. Petri, & obtinui indultum transferendi pensionem impositam fructibus beneficii S. Joannis, non possum in vi istius indulti transferre pensionem impositam beneficio S. Petri; cum pensionis materia veluti odiosa sit strictissimè interpretationis. Corrad. cit. c. 5. n. 22. Idem tradit Lott. cit. q. 40. n. 71. & 72. ubi: quòd, si facultas dicta limitata est ad certam pensionem, observandum, ne translatio fiat de diversa pensione; cum Rescripta hanc sortiantur à jure naturam, ut non extendantur nisi ad ea, in quibus

clarè & specificè eorum verba verificari possunt, juxta c. significavit. de Rescript.

Quaestio 625. An, dum in initio pactum inter titularum, & pensionarium de non transferendo pensionem, in impetratione facultatis transferendi necesse sit fieri mentionem dicti pacti?

Respondeo affirmativè, ita ut subrepticia, & nulla sit hæc facultas, non facta mentione conventionis talis in ita in ipso limite reservationis; tum quia titularis aliàs Ecclesiam ita gravatam non accepisset; tum etiam, quia ex tunc ita videtur quæsitum jus aliquod Ecclesiae pro sperata libertate, ac impedita prorogatione servitutis; unde, si Papa id narratum fuisset, verisimiliter non concessisset gratiam, cujus impetratio in impetrante fraudem, ac fidei violationem redolet. Card. de Luc. de pens. d. 68. n. 12. & 20.

Quaestio 626. An, & qualiter translatio pensionis fieri possit non tantum pro tota, sed etiam pro parte pensionis?

Respondeo primò: Dum contrarium non expressum in facultate transferendi, sed simpliciter concessa facultas transferendi pensionem, pensionarius poterit transferre pensionem non solum integram, verum etiam unam illius partem, & alteram retinere; cum pensio non sit indivisibilis sicut beneficium, & possit in unam, vel plures personas transferri. Corrad. l. 5. c. 5. n. 43. citans Gig. de pens. q. 86. ante n. 1. Garc. de benef. in addit. ad p. 1. c. 5. n. 54. Unde jam etiam verba illa: in toto, vel parte, passim apponi solita in hujusmodi indultis transferendi, potius ad cautelam, quam de necessitate adjicuntur, ait, loc. cit. Corrad.

2. De cetero, sicut diligenter attendendum, num dicta facultas limitata sit ad certam pensionem, ita etiam, an determinata sit ad certam pensionis quantitatem; ita ut, si in hoc casu transferatur ultra quantitatem concessam, non sustineatur actus, nisi pro quantitate concessa. Lott. cit. q. 40. n. 64. Corrad. l. 5. c. 6. n. 18. Hujus autem, nempe quòd sustineatur actus in eo casu pro quantitate tantum expressa, vel etiam eà minore, v. g. dum in vi concessa facultatis transferendi pensionem 200. ducatorum usque ad quantitatem tantum 100. ducatorum, facta translatio ejusdem pensionis ad 150. ducatos, valeat nihilominus quoad quantitatem 100. ducatorum, vel etiam quantitatem minorem 100. ducatis, hujus inquam ratio est, quòd dicta pensio respectu quantitatis sit dividua, & sic ipse quoque actus translationis sit dividuus ratione subjecti, & in dividuis utile per inutile non vitietur. Corrad. cit. c. 6. n. 19. Lott. cit. q. 40. n. 73. & 75. Unde tamen non sequitur, dum facultas transferendi determinata est ad pensionem certam, & determinatam ex determinata quantitate, eam posse extendi ad translationem alterius pensionis etiam minoris quantitatatis; quia ista facultas est quid individuum determinatum ad unam illam pensionem istius determinatae quantitatis. Lott. n. 75. Quòd, si tamen certa quantitas, aut etiam qualitas pensionis fuisset expressa in facultate transferendi solius demonstrationis, seu certam pensionem demonstrandi gratia, & ea quantitas, vel qualitas deficeret tempore concessa illius facultatis, v. g. Papa det indultum transferendi pensionem aliàs reservatam in certa quantitate, quæ de tempore indulti sit reducta ad minorem